

accingit. Manum suam misit ad fortia. Fortitudo & decor indumentum eius. Denique, Or suum aperuit sapientiae, & lex clementiae in lingua eius. Vatablus legit: Sapienter loquitur, & est gratiofa. Quia sacra Scriptura, (Lyrae verba sunt) docet sapientiam, defursum descendente, quae pudica est & modesta, suavis, bonis consentiens, plena misericordiae, & fructibus bonis. Sic hostes triumphat, sic allicit, sic devincit animos, si orbi dominatur universo, Christi illum subiciens ditioni.

SECTIO III.

Evangelicam Christi Doctrinam auriferam totum locupletatus Orbis.

2302 IN primis sic observat Hugo Carenfis ad Ecclesiastici verba, quae veritas assimilata Sapientiae: nam sicut illa flumina abundant aquis, gemmis, auro, ligno Aloes, ita sapientia multa continet pretiosa respondentia illis. Signatim de fluvio Philone seu Gange sacer reitatur Historicus, circuire totam terram Evilath, ubi nascitur aurum optimum, & gemmae reperiuntur pretiosae. Unde Sanctus Hieronymus Epistol. quartam ad Rusticum Monachum: Ganges, inquit, fluvius, quem Phison sacra Scriptura commemorat, qui circuit totam terram Evilath, & multa genera pigmentorum de paradisi dicitur fonte devehere; ubi nascitur carbunculus, & smaragdus, & margarita candentia, & unioes; montesque aures, &c. Huic ergo flumini aurifero, gemmiferoque Doctrina Christi assimilatur, ut quam sit ipsa aurifera & gemmifera, demonstraret. Christus enim exundatione suae doctrinae non solum omnes mundi partes pervasit, & adhaeravit, sed & praedivites reddidit spiritualium divitiarum copia exuberante.

Quadrige Ezechielis ad rem Evangelicam spectat. Ezech. 1. 16.

Per rotas aureas, & gemmas volubiles designatur Evangelica doctrina locupletissima & locupletans. S. Greg.

2303 Celebrem illam Ezechielis quadrigam ad rem Evangelicam arcanè spectare, multi jure arbitrantur. Expende quid de rotis vertibilibus, quibus ferri curus videbatur, sacer observet Textus: Et aspectus rotarum, & opus earum quasi visio maris; & una similitudo ipsarum quatuor; & aspectus earum & opera quasi sit rota in medio rotae. Pro visio maris, LXX. & Chaldaeus legunt, quasi species Tharsis, retentam hac voce Hebraea significante non solum mare, sed lapidem pretiosum, quem nonnulli Chrysolitum, alii Hyacinthum, alii Crystallum, alii Carbunculum, alii Beryllum, alii Topazium, alii gemmas alias pretiosas coloribus marini, esse volunt. Unde non male reor, quaternas illas rotas apparuisse quasi fabricatas ex auro purissimo & gemmarum varietate, quae illis pretiosis rebus essent similes, quae asportari dicuntur per mare ex Indiae regionibus. Certè qui rotas illas intuebatur, locupletissimum thesaurum, magnas opes, & pretiosa quaeque se videre putaret. At quid per rotas designatum praedivites? Sanctus Gregorius, Rupertus & Hugo Carenfis in caput primum Ezechielis, & Sanctus Hieronymus ibidem in caput primum Ecclesiastes putant, Sacram designari Scripturam: Quid rota (ait Gregorius) nisi sacram Scripturam signat; quae ex omni parte ad auditorum mentes volvitur,

& nullo erroris angelo a praedicationis suae via retinetur? Quod late profequitur, & subdit: Rota intra rotam est Testamentum novum intra Testamentum vetus. Ecce tibi, underotae apparent aureae, & gemmae: doctrinam quippe Evangelicam portendebant, locupletissimum in illa delitescens caelestium rerum thesaurum, mare quoddam divitiarum (un mar de riquezas.) in omnes Mundi oras uberrimè derivandum. Eapropter Sanctus Anastasius inspiratas Litteras appellavit sacros Dei thesauros. Epistolam ad Episcopos Aegypti; & libro de Virginitate nominat pretiosos, & exquisitos unioes. Et Sanctus Chryostomus Homilia secunda in Isaia tom. primo. Satis est tantum aperuisse (sacros nempe libros) ut illic videas gemmarum splendorem. Quid mirum? rotae sunt, quarum vel solus aspectus, seu species, est quasi aspectus resurgens auri, & multarum gemmarum resplendentium.

S. Athanas. S. Chryost.

2304 Et instituto nostro, & data Ezechielis rotis expositioni splendor conciliatur ex Proverbiorum caput. vigesimo quinto v. undecimo. Mala aurea in lectis argenteis verbum dictum in tempore suo. Ex Hebraeo multi legunt: Verbum ordinatum super rotas suas, seu in circumvolutione sua. De sacra Scriptura, & praedicationis Evangelicae verbo explicat Sanctus Beda; & favet pulcherrimè Rabbi Moyfes, qui illa: Mala aurea in lectis argenteis, sic effert: cum Scripturis characteres referentibus elaborationibus ex argenteo. Quasi dicamus: Similis extat Evangelica doctrina, verbo & scripto tradita, pomis aureis, seu aureis monilibus, in quibus Scripturae aliquot conspiciantur argenteis characteribus artificiosè elaboratis. Tota aurea, tota argentea, tota gemma est inspirata Scriptura, Christiana Doctrina: verbum dictum est super rotas suas, vel ut Cajetanus legit: super rotas auri: ac si dictum hoc sit cum respectu ad rotas Ezechielis ex auro, & gemmas fabricatas. Dum rotatur praedicationis verbum, dum sermo Evangelicus ad omnes mundi partes convolvitur, totus orbis locupletatur. Accipe Bedae Esatum. Sacra eloquia rectissime lectis comparantur argenteis, quorum lectorum ornatu mala aurea superaddit quisquis eadem divina eloquia & spiritualibus plena sensibus & mysteriis exponendo demonstrat.

Prov. 23. 11. Dum rotatur per totum orbem Evangelium omnes locupletat.

R. Moyfes.

Beda:

2305 Recenset Deus apud Ezechielem capitulo decimo sexto, v. decimo conubialia ornamenta, quibus ipse uti Sponsus Sponsam Synagogam exquisitè donavit. Vestivi te discoloribus, & calceavi te janthino, & cinxi te bysso, & indui te subtilibus, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi in aurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo: & ornata es auro & argento. Quae haec tam pretiosa dona, nuptialis gaza, & splendida monilia Ecclesiae veteris decoramenta? Praclare Rupertus libro tertio de Victoria Verbi, capitulo vigesimo sexto arbitratur esse tot tamque divina mysteria in sacris litteris sub littera cortice delitescencia. Tanis divitiarum splendidis nominibus, quid nisi Sacramenta caelestia sub illius sacra Scripturae grosso velamine latentia significari putamus? Bene hoc fit: illud tamen opportunius ad rem nostram expendo, Dedi,

Ezech. 16. 19.

Nuptialis gaza veteris Synagoga, sacra Scriptura, quae Ecclesiam nunc exornant & locupletant. Rupert.

Dedi circulos auribus tuis. LXX. efferunt, & rotulas super aures tuas. Aurium ornamenta erant ex auro & gemmis elaborata ad instar rotarum. Sanctus Hieronymus ibi dictum hoc putat cum aliquo intuitu ad Ezechielis rotas. Origenes autem per has rotulas capit Homilia sexta in Ezechielem, Legis obedientiam; nec non divina eloquia, ex quibus mens conciliat sibi veritatis cognitionem. Cernis qua ratione sacrae Scripturae vocantur rotae, rotuli, circuli? Aureae rotulae sunt pretiosa aurium monilia, quibus olim Deus Synagogam condecoravit & locupletavit. Sed ipsa durae cervicis & incircumcisis cordibus & auribus, amisit vera ornamenta aurium, Dei voces, ut loquitur Tertullianus in Scorpiaco, capitulo tertio. Repudiatur tanquam adultera procacissima, sufficitur ejus loco Christiana Ecclesia uti Sponsa charissima, pudica, fidelis in fines saeculorum regnatura cum suo Sponso Jesu. Eripitur Synagoga quoad Spiritum pretiosa divinarum Scripturarum gaza, aurium ornamenta aurea gemmaeque, transferunt ad orthodoxam Ecclesiam novo cum Evangelii splendore & pretio. Dicam breviter ex

Orig.

A. 7. 51.

Cant. 1. 11.

Cervantes.

Murenula aurea, aurea sunt sacrae Scripturae volumina, Chaldaeus.

S. Greg.

2306 Cantico. primo, v. undecimo; Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Pro murenulas, Hebraice est thorum, a thor, quod significat circuitum, revolutionem: ornamenta aurium sunt ex auro, & gemmis, & margaritis, murenae pisces, qui se flecit in orbem, persimilia. Putaverim esse circulos illos aureos, seu rotulas, de quibus, proximè Ezechielius, & eadem gaudere significatione. Unde pulchre Gonsalvus Cervantes in capitulo sexto sapientiae Theoria duodecima & in capitulo octavo Theoria quadragesima nona ex Anonymo quodam, & Hebraeus Hebraeus voces sic vertit: Volumina, libros, seu libellos aureos faciemus tibi cum notis, punctis, manifestationibus, designationibus, seu impressionibus argenteis. Quid pro inspirata Scriptura, quid pro veteri, ac novo Testamento, quid pro doctrina Evangelica luculentius? Favet Chaldaea translatio rem capiens de legis tabulis, Dei digito scriptis. Tunc dictum est Moysi: Ascende ad firmamentum, & dabo tibi duas tabulas lapideas excisas ex sapphyro throni gloriae meae, & splendidas scriptas digito meo, in quibus scripta sunt decem verba, quae expurgata sunt magis quam argentum. Hinc Ecclesiae Patres non pauci per has murenulas accipiunt Sacram Scripturam, quae Dei legem & Christi mysteria continet, & evulgat. Sat erit unum audire Magnum Gregorium. Murena piscis est, qui captus veritè se in circulum, ad cuius exemplar fit inauris, quae murenula dicitur; qua designatur praedicationis, qua auribus inhaeret, & eas penetrat. Per murenulas enim Sancta Scriptura intelligitur: quae bene, auro, & argento vermiculata dicitur, quia & sapientia sacra Scriptura fulget, & sonora praedicatione per universum mundum audiunt. Nihil igitur in sacra & inspirata Doctrina non pretiosum; tota aurea est, tota gemma; volumen aureum est cum characteribus argenteis; conubiale donarium datum Ecclesiae ad ornatum aurium. P. Ildeph. de Flores in Eccles.

Murenula aurea vermiculata argento: vel ex Hebraeo & Graeco, cum punctis argenti; ut ostendatur, in Scripturis sacris vel punctum unum, totam vel apiculam, pretiosissimum esse. Et syllaba & apiculus unicus reconditum habet thesaurum, aiebat S. Chryost. Hom. 18. in Genesim.

vel punctum unum divina scripturae conti. et thesaurum. S. Chryost.

2307 Consonat sibi Rex pacificus Cantico. quinto, v. decimo quarto de corporati Verbi manibus loquens. Manus ejus tornatiles aureae plenae hyacinthis. Manus non male hic pro operibus accipias. Sed quam opera Dei Isthac? Dicam, si observes, pro tornatiles Hebraice esse guelilim, sive guelile, id est, circuli, rotae, a galal, id est, rotare, volvere. A quo etiam megilla, id est, volumen, libellus. Unde non pauci efferunt: Manus ejus circuli, rotae, volumina, seu libelli aurei pleni thearsis. R. Abenezra apud Genebrardum explicat appositè: Manus ejus orbes aurei, de quibus in principio Ezechielis: porrò ad hanc vocem hyacinthorum allusi idem Ezechiel. aspectus rotarum, & opus earum in speciem hyacinthi. R. verò Salomon apud eundem Genebrardum mysterium expendit luculentius, ita: Manus ejus, tabulae, quas dextera sua dedit; quaeque opus manuum ejus sunt; orbes aurei. Significatur Decalogus, qui tabulis continebatur, optabilior auro, & obrizo copioso. Rabbi Josua filius Nehemiae illas dixit prodigiosas, quod adomantinae essent, & in terra volubiles. Dicit praeterea possunt orbes aurei, & quasi volumina, quod bonum in hanc universitatem devolverunt. Impleti hyacinthis: nam praedicationis trecenta & tredecim numero Decalogum implent. Quid pro instituto nostro opportunius? Sunt etenim divina volumina, sacraeque libelli, rotae aureae gemmis variatae pretiosissimas (quos praese fert vox thearsis) opus politissimi artificis; Dei, inquam, manu & digitis graphicè elaboratum, id est, Spiritus sancti virtute, & instinctu, ut per Apostolorum praedicationem ad omnem mundi plagam tanquam rotam citissimè volverentur, hominesque à Dei cognitione alioquin distitios caelestibus cumularent bonis pretio & pulchritudine mirandis, auro, argento, & gemmis pretiosioribus.

Cant. 5. 14.

Manus Christi aha rea & gemmae sunt divinae volumina omnia. R. Abenez.

R. Salomon

SECTIO IV.

Ab exundante Christi Doctrina infacunda Gentilitatis regiones in terram uberem, floridam, & amaranam converteat.

2308 Huc spectant typicè quinque illa flumina aquis exuberantia in quatuor mundi partes effusis, quibus aridae & infaecundae alioquin regiones irrigantur & fecundantur. Equidem exundante Evangelicam Doctrinam, felicior accidit inculta & sterili Gentilitati innovatio. O quam laetam in ea metamorphosim intueor! o quales agros tritici, vini, & olei feracissimos! o qualiter, quamque uberosi justitiae & sanctitatis fructus fert! Hoc illud est, quod Isaia ait praedicans Evangelicorum temporum felicitatem c. 35. 1. Latabitur deserta & in via, & Isaia. 35. 1. exultabit solitudo, & florebit quasi lilium; germinans germinabit, & exultabit letabunda & laudans: gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron. LXX. legunt: Latabitur desertum sicut.

F f f sient.

rens. Nomine verò, ac symbolo deserti inhabitabilis & sitientis, incultaque solitudinis Gentilitatem in sacris litteris significari, ex Patrum doctrina certum est, & multis probat noster Alcazar Apocalypsis duodecimo, versu sexto. Igitur Gentium Ecclesie, quae ante Evangelicam praedicationem ad instar erat infœcundae, & aridissimae glebae, felicissima promittitur innovatio, mira fertilitas, ubertas, & amœnitas montium Libani, Carmeli, & Saron: nimirum omnia bona, opes, ac delicias sacras, & spirituales Synagogae transferendas magno cum auctario in Ecclesiam Christianam ex Gentibus congregatam. Audi Theodoretum hic. Desertum sitiens dicitur, quod non fuit irriguum Prophetarum vaticiniis; quod non Dei agriculturam accepit. Et Justinum Martyrem in Apologum secundum. Desertum appellat nationes, quod Dei veri cognitionis essent expertes, & destituta caelestibus bonis, quibus leta nunciata, quod omnia bona, quae apud Iudaeos erant, ad illos essent transferenda per Apostolos, dixerunt: Ecce convertimur ad Gentes.

2309 Illustre etiam extat apud eundem Vatem ad rem nostram vaticinium capit. quadragesimo primo v. decimo septimo. Egeni & pauperes querunt aquas, & non sunt; sui lingua eorum aruit. De Gentilitate loquitur quaerente aquas ante adventum Christi, id est, rerum caelestium cognitionem per Philosophos, & ardebat siti; non enim acceperat opulentiam Legis divinae & Evangelicae Doctrinae. Ita penè iisdem verbis Theodoretus, & consonant Hieronymus, Cyrillus, & Procopius. Verum quid subinde Deus summè clemens & munificus? Subdit continenter: Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram invidiam rivus aquarum. Vides aquarum exuberantiam? Exuberantem Christi doctrinam intellige sterile & inaquosum Gentilitatis desertum irrigantem, & fecundantem, aded feliciter, ut subiecit Vates: Dabo in solitudinem Cedrum, & Spinam, & Myrtum, & lignum olivae; ponam in deserto Abietem, Ulmum, & Buxum simul. Ecce felicissimis arboribus, pulcherrimis pariter, ac fecundissimis consitam aridam olim & incultam Gentilitatis glebam! Arboreos sunt uberrimos fidei, religionis, virtutumque omnium fructus jugiter ferentes. Quid jucundius? Quid amœnitas? Lege S. Gregorium Hom. 20. in Evangelia, ubi latè hoc Isaiae testimonium, ut nos, expendit.

2310 De Ecclesiae gremio capacissimo id habes Canticor. 7. 2. Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis; id est, liquore potabili? De Evangelicae doctrinae lymphis communis interpretatio est. Unde Chaldaeus vertit: Et Princeps scholae tuae, &c. Splendidus est in lege sicut circulus lunae. Et non deficiunt verba legis unquam ab ore ejus, sicut non deficiunt aquae fluminis quando egrediuntur de paradiso. Videtur dictum cum intuitu ad quatuor paradisi flumina, per quae Christi doctrinam designari diximus. Ac si dicat Salomon: Nunquam deerit in Ecclesia aqua sapientiae & doctrinae; igitur fluet, irrigabit, & fecundabit Ecclesiae interiora. Quid verò subinde? Venter tuus acervus tritici vallatus liliis. Transferas cum Tuccio: tritici ager septus rosis. Quae major in agro fecunditas; quae gratior in viridario amœni-

tas? Numerosa filiorum proles est, qua gaudet, qua floret Ecclesia olim sterili, quae non pariebat: jam nunc tota fecunda, tota florida & amœna, ab exundantibus quidem Evangelicae Doctrinae fluminibus, de quibus Joannes 7. 38. 38. Flumina de ventre ejus fluent aquae vitae. 2311 De Christo mundi Magistro, atque de ejus lege Evangelica, & Evangelii praedicatione illi extant apud Isaiaem laeti Gentium clamores: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob. Et docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus; quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem. Nimirum, Evangelicae doctrinae fluente per Apostolos, eorumque successores Gentilitas recepit, quae usque aded fecundata est, ut illic Vates subdat: Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. At quid opus, in vomeres, falces, in falces lanceas converti? Deuruntne metalla, ex quibus vomeres & falces efformentur? Dices, non necessitatis id esse, sed ad typicè portendam pacem abundantissimam, quae fructura erat Ecclesia sub lege Evangelica. Benè hoc sit. Inquiri ulterius, cur bellica arma in ea potius, quam in alia ferrea instrumenta conflantur, quae Cereris ministeriis serviunt? Putaverim Evangelicae Doctrinae praemonstrari felicitatem, non solum quod pax floreat, ad quam Christi Lex inflammata, & influit, sed ob cumulatisimos lactissimae fegetis fructus, quos refert Evangelii praedicatione. Tantus erit fidelium proventus; tanta Sanctorum copia; ut opus sit & enses, & lanceas in rustica Cereris instrumenta commutari ad tam copiosam messem colligendam. Sic videtur Isaiae vaticinium interpretari S. Irenaeus libro 4. adversus Haereses cap. 67. Libertatis lex, id est, verbum Dei ab Apostolis, qui ab Jerusalem exierunt, annunciatum universam terram in tantam transmutationem fecit, quod gladios & lanceas bellatorias in aratra fabricarunt ipsi, & in falces, quae donavit ad metendum frumentum. Totum hoc exundanti Christi doctrinae deferendum, quis non videat?

2312 Isaiae 52. 7. Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & praedicantis pacem; annunciantis bonum, praedicantis salutem. S. Paulus ad Roman. 10. 15. de Apostolorum praedicatione explicat Isaiaem sic legens: Quam speciosi pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona. Origenes totum locum ad Christum refert, quem primum Evangelistam nominat. Dicendum, de Christo Sermonem esse per suos Apostolos, virosque Apostolicos evangelizante & praedicante gratiam, salutem, pacem toti mundo. Horum igitur pedes commendat Vates, demirans summopere illorum pulchritudinem & elegantiam: Quam pulchri, quam speciosi super montes pedes! Celebris extat LXX. Seniorum translatio, qui pro speciosi vertunt aqua, id est, ver seu vernum tempus, in quo, pura & serenà luce super montes resurgente, terra veluti reviviscit, floribus adornatur, amœnitate & viriditate circumvestitur; vel ipsa etiam deserta, & steriles agri locupletantur. O quam pulchri, quam verni Apostolorum pedes! Dum enim salutem, id est, Jesum evangelizantes, horridam, incultam & infœcundam Gentilitatis solitudinem peragrabant, ita Evangelicae doctrinae

Arinae fluentis irrigata & fecundata feliciter est, ut vernum tempus ab Apostolicis pedibus delatum crederes vastissimis illis regionibus: non jam horridae erant silvestribus dumis, sed floribus coronatae, rosis, violis, liliis, caelestibus nempe gratis, & ornamentis. Sic Cyrillus interpretatur ibi, & Origenes in cap. 10. ad Romanos, qui pulchrè Isaiae verba componunt cum illis Canticor. 2. 12. Jam hyems transit, imber abiit & recessit: flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis advenit, &c. Quibus Gentilitatis conversionem subdeserti virefcentis symbolo adumbrari, communis fert interpretatio. Lege è nostris Cornelium, Sanctum, Pintum, & Sherlogum in Cantica. Ubi etiam observo Ifychii mentem libro 4. in Leviticum, qui pedes Evangelizantium putat esse Libros Evangelicos. Quasi ipsa Evangelica Christi doctrina, in qua Apostoli iter peragebant, vernum praese tulerit tempus incultae, & horridae Gentilitatis telluri.

2313 Adducunt ad Christum Pharisei mulierem adulterii ream; sententiam super indubitato crimine rogant. Quid verò tunc Jesus Judex constitutus? Inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Nec semel se inclinavit, & scripsit in terra: Iterum se inclinans scribebat in terra. Joannes 8. Porro arcanè dicitur Christus inclinatus ad terram, in ea scripsisse. Per hoc (Beda inquit) quod digito scripsit in terra, illum se forte monstravit qui quondam legem in lapide scribens in terra portabat. Ille idem legillator Deus, qui olim in tabulis lapideis, doctrinam suam proprio digito exaravit; nunc jam ad terras inclinatus, eodem digito scribit in terra semel atque iterum: & quid? Nihil sane certi, quid scripserit, statui potest. Scripsisse tamen aliqua, quae ad novum testamentum & Evangelicam doctrinam spectarent, indicat S. Ambrosius in Epistola 58. Scripsit, ut gemino testamento Iudaeos scias esse damnatos. Sed quam ob causam, veteris Testamenti doctrinam in duro exaravit lapide, & quidem sapphirino; Novi verò montana in terra humili & abjecta? Consultissimè id factum esse, putandum est. Licet enim potens sit Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae; cum verbum Dei ad instar feminis sit, si in petrosa decidat, citò emarcet, & aestuat ad solis ardores; secus autem quod in terram bonam seminatur, fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò tricesimum, ut in Parabola divini seminantis habes Matth. 13. Etenim incisa digito Dei lex in rupicibus paginis, in saxeo volumine, semen extitit in petrosa decidit, quod citò emarcuit, & nullum tulit fructum in faxeis Judaeorum cordibus. Ut verò demonstraret Christum quam copiosos sanctitatis, & Sanctorum fructus relatura lex nova esset, Evangelicaque doctrina in terra illam exarabat, quasi bonam araret terram digito suo, verbum seminaret, verbo irrigaret, ac fecundaret. Est haec tota Augustini interpretatio elegantissima in Pf. 102. Time scripsit in terra, quando se inclinavit in terram. Antequam se inclinaret in terram, non in terra scripsit, sed in lapide. Jam fructuosam aliquid erat terra de Domini litteris paritura. In lapide legem scripserat, significans duritiam Iudaeorum, in terra scripsit, P. Ildeph. de Flores in Eccles.

significans fructum Christianorum. Similia omnino habet Serm. 37. de verbis Domini, & tract. 33. in Joan. 2314 Cant. 5. describit artificiosè Sponsa miram Sponsi Jesu pulchritudinem, & inter alia, sic v. 13. Genae ejus sicut areolae aromatum consista à pigmentariis. Pro areolae, Aquila vertit, sulci; Pagninus, lineae sulci, quibus distinguuntur, & irrigantur areolae herbarum, & florum in viridario. Arabicus legit, sicut lacus, vel piscina; unde aqua fluit ad irrigationem. Quid, quaeso, per has areolas, per hos sulcos, lacum seu piscinam intelligendum? Quid per genas terrae illi hortensi excultae, floridae & odoratae perfimiles? Sponsa divinam scripturam intelligit, respondet Philo Carpathius. Scripturae sunt (addit Honorius) ab Apostolis redemptae. Sicut enim ex genis, vel facie quique cognoscitur, sic ex sacris litteris Christus. Audi doctissimum Ariam Montanum in Commentariis super Cantica, quos Hispano sermone edidit, & apud me habeo ejus propria manu exaratos. Aquí las megillas del alio esposo son sus esculturaz, que nos le muestran y dan testimonio claro del, para que le conozcamos, como el mesmo lo dicen por S. Juan c. 5. Jen estas Escrituras ay diversos libros diversos preceptos y consejos, que todos con grande igualdad sin contra dicion ni discrepancia dan testimonio del divino Esposo, que son semejantes en su suavidad a las plantas aromaticas, y al orden y composicion dellas en su consonancia & igualdad. Consonat Chaldaica versio, quae in duabus Chaldae. Sponsi genis duas agnoscit Decalogi Tabulas. Duae Tabulae lapideae, quas dedit populo suo scriptae erant decem lineis, similibus lineis horti aromaticum, quae germinant acutissimos sensus, & suaves, sicut hortus germinat aromata. Certè, ut ego interpretor, sacrae Scripturae, & in illis contenta Evangelica Doctrina areolis aromatum consistit à pigmentariis comparantur, quia ea inest sacro eloquio vis & energia, ut eo irrigata & exculta corda fidelium, ad instar sint areolarum consitarum floribus inter aromata crescentibus, ac proinde odore & pulchritudine sua oblectantibus. Ita in re perfimili Philippus Abbas interpretatur Allegor. primo in Cantica. Sane omnes sacrae Scripturae libri flores appellari possunt; pro eo quod nos floribus, id est, virtutibus spiritualibus florere faciunt.

SECTIO V.

A die Pentecostes exundare, & exuberare cepit Evangelica Doctrina, divino flante Spiritu. 2315 Sic ad Ecclesiastici verba, quae elucidamus, observavit Palacios, cujus commentarium dedimus in Enodatione textus. Splendorem illi conciliemus. Etenim, etsi Discipuli multa à Christo Domino fuissent edocti, dum adhuc ipse in terris versabatur, multa tamen supererant dicenda: nondum doctrina Evangelica completa & absoluta erat, quia Apostoli nondum capaces illius erant, atque aded neque Apostolici muneris exercendi. Quid ergo tunc Mundi Magister? In caelos ascendit, ad Patris dexteram residet, & super Discipulos promissum Spiritum sanctum mittit, per quem, quaecumque dicenda, & docenda F f f 2 super-

Fertilitas, & amœnitas ex Evangelica Doctrina.

Theodor.

S. Justin.

Isai. 44. 17.

Aquarum exuberantia ex doctrina Evangelica ad fecunditatem.

Cant. 7. 2.

Chaldaeus.

Numerosa Ecclesia prolis ex Evangelii praedicatione.

Copiosa Ecclesia missis per Evangelicam doctrinam.

S. Iren.

Isai. 52. 7.

Vel ipsi Praedicatorum pedes sterilitatem fecundant, exornant, locupletant.

Cant. 2. 12.

Ifychi.

Joan. 8.

Beda.

Christus digito scribens in terra portabat terram doctrinam suam facundiam Evangelicam.

S. Ambr.

In lapide olim scripsit, qui divinum verbum in saxo indidit emarcuit.

Matth. 13.

S. August.

Cant. 5. 13.

Christi genas sunt sacrae Scripturae fecundae, & fecunditates amœnissimae.

Arias Montanus.

Chaldaeus.

Philippus Abbas.